

imminui plusquam pars est Episcoporum dignitas, nec satis intelligi qualis sit auctoritas eorumdem in Concilio. Quae difficultates ut removeantur, duas insequentes statuimus Theses.

THESIS XXVI.

Distinguere oportet inter supremum doctorem vel iudicem controversiarum fidei, et normam quam sequi debet ipse iudex in iudicando, quam quidem in sequendo ne erret, assistit Spiritus S. Haec duo vero confundunt qui ut probent auctoritatem supremam in rebus fidei definiendis esse penes universitatem, provocant ad canonem Lirinensis, ipsorumque Pontificum testificationem, qui in suis decretis fidei docent sequendam esse universitatem et consensionem in antiquitate. Porro ipsa universitas Patrum et Doctorum praecedentium verae fidei nobis certum testimonium reddit, quatenus Patres omnes et Doctores cum magisterio Cathedrae Apostolicae consentiebant et ab ipsa probati sunt.

I. Sane revelatio ab initio tota facta est, completumque est depositum revelationis. Nihil ergo novi quoad rem ipsam expectandum est, sed sola explicatio obiectiva dogmatum, et profectus scientificus subiectivus. Magistri ergo qui succedentibus aetatibus existunt debent semper illud docere quod olim traditum est. Opus est igitur in functione huius magisterii habere semper prae oculis Verbum Dei tum scriptum tum traditum. Id quidem a decessoribus successoribus communicatur, non per infusionem quamdam, sed per magisterium quo docentur ii qui postea in locum magistrorum succedent. Fieri vero potest ut et quidam magistri vel ex ignorantia errent, vel ex malitia pervertant doctrinam, fierique potest ut in investiganda doctrina penes Scripturam et monumenta traditionis erretur; unde controversias in fide primum est oriri. Necesse est ergo ut existat supremus iudex et doctor qui errare non possit in apprehendenda doctrina divinitus scripta vel tradita et constanter propagata, atque in ea promulganda et proponenda fidelibus: cuius proinde iudicis doctorisque ministerio eadem semper doctrina ab initio tradita, iugiter conservetur et vigeat in Ecclesia. Oportet igitur ut errare is non possit in investigatione veritatis ab initio traditae, in eaque discernenda ab adulterinis doctrinis postea inductis. Huc autem spectat charisma infallibilitatis, quod non est in eo positum, ut per revelationem aut infusionem notitiae informetur mens docentis; sed in eo quod Spiritus S. ope sua Doctori ita assistat, ut ab errore hic existat immunis in investigatione veritatis prius traditae, et in propo-

nendo fidelibus credenda dogmata iam prius implicite saltem credita, depositoque traditionis consignata. Unde sollemnis definitio Ecclesiae vel universale eiusdem magisterium circa res revelatas eo pertinet ut infallibiliter doceantur fideles dogma aliquid *esse divinitus revelatum*, ideoque fide divina credendum. Cf. definitionem Immac. Concept. B. V. M. et infallibilitatis R. P. Idecirco veritatem credendam proponendamque fidelibus singuli supremi iudices ac doctores extrinsecus accipiunt a perpetua traditione, quae in Ecclesia viget; iuvantur autem assistentia Spiritus S. ne errent ipsi in apprehendenda et tradenda Ecclesiae ea doctrina.

His positus liquet 1) doctrinam contentam Scriptura ceterisque monumentis traditionis, haud esse per se solam sufficientem fidelibus ut certitudine infallibili assequantur veritates revelatas: 2) requiri iugiter viventem doctorem et iudicem supremum (qui est Romanus Pontifex, et cum ipso coetus Pastorum) qui infallibiliter fideles doceat quid sit revelatum, fideique quaestiones finiat: 3) magisterii huius normam esse traditionem antiquam et universalem Ecclesiae, docere enim debet quod traditum est; 4) opus vero ei esse assistentia Spiritus S. ne, sicut aliis contingere potest et solet, erret in proponenda fidelibus doctrina revelata credenda. Quare patet distinguendum esse inter supremum doctorem iudicemque, atque normam secundum quam docet et iudicat.

II. Iam vero haec duo confunduntur ab iis, quos modo oportet impugnare. Aiunt enim supremam auctoritatem docendi, auctore Vincentio Lirinensi, in universitate reperiri. Cur vero? quia, eodem docente (Comm. nn. 3, 4, 38, 41), *tenendum est quod ubique quod semper, quod ab omnibus creditum est*: quod quidem, ait, ita demum fiet, *si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem*. Porro, subdunt, idem Vincentius mentionem non facit magisterii Romani Pontificis, a quo petenda sit doctrina, et infallibilis notitia veritatis, facit autem Conciliorum.

Iam vero si haec doctrina per se spectetur, sequendam scilicet esse universitatem, seu credendum esse quod ab omnibus ubique tenetur, et si haec universitas nunc desit, sequendam esse consensionem antiquitatis, doctrina haec inquam per se spectata non suggerit nisi normam quamdam quae praesto esse debet in decidendis quaestionibus fidei quatenus proponit quosdam obiectivos characteres verae traditionis quae certe sequenda est. Quam normam quidem omnes sequi debent, etiam concilia, auctore Lirinensi; sed quia fieri potest ut erret quis in investigatione huius normae, hinc ut peremptorie finiantur fidei quaestiones oportet esse doctorem aliquem aut iudicem infallibilem, qui nequeat scilicet errare in proponenda do-

ctrina quae traditione continetur. Sive autem dicas doctorem hunc et iudicem infallibilem esse Synodum oecumenicam, sive Papam, sive utrumque, semper verum est quod praeter consensionem antiquitatis (quae obiective quidem existit, sed non infallibiliter cognoscitur cum fidei decreta desunt) et praeter universalem consensum praesentis Ecclesiae in re nondum definita (quae universalitas non supponitur plena, non enim excludit quorundam dissensiones, secus non esset locus quaestioni), requiratur sententia alicuius iudicis qui rem definiat. Quinam autem sit hic iudex, id non ex hoc canone Lirinensis, sed aliunde, h. e. ex Christi institutione per Scripturas et universalem consensum traditionis manifestata colligendum est: ex quibus constat, ut probavimus, talem iudicem esse Romanum Pontificem. Igitur perperam ad hunc canonem Lirinensis provocatur ut impugnetur infallibilitas Romani Pontificis; confunditur enim norma sequenda in magisterio, cum ipsa auctoritate magisterii.

Si vero doctrina Vincentii secundum eius propositum spectetur ea huc redit. *Cum novae exoriuntur haereses* (c. 38), iis 1) opponatur praesens consensus universalis Ecclesiae: si universalitas praesens haud ita clara sit, quaeratur 2) antiquitas; quod si aliquis dissensus in ea quoque appareat, praeponatur 3) decretum, si sit, universalis Ecclesiae vel Concilii; si autem hoc desit, tum 4) collatis Maiorum sententiis, sequamur eos, qui diversis licet temporibus vel locis in unius tamen Ecclesiae catholicae communione permanentes, magistri probabiles exstiterunt; et quod non unum aut duos tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognovimus, id pariter sequamur; scilicet sequamur consensionem in antiquitate cc. 4. 5. 6. 37. Non autem semper, ait, neque omnes haereses hoc modo impugnandae sunt, sed novitiae recentesque tantummodo, cum primum scilicet exortae sunt. Antiquiores vero quascumque vel schismatum vel haeresum profanitates nullo modo nos oportet nisi aut sola, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere; aut certe iam antiquitus universalibus Sacerdotum catholicorum conciliis convictas damnatasque vitare (c. 38). Illa vero methodo contra exorientes errores usos fuisse docet Vincentius tum universim doctores, tum Romanos Pontifices (c. 9) tum Concilia (c. 32) in suis edendis decretis.

Itaque dicimus 1) scopum Vincentii fuisse suppeditare methodum scientificae (1) inquisitionis pro invenienda veritate contra no-

(1) Videntur quidam theologi non satis distinguere inter duplicem methodum adhibendi auctoritatem Patrum in quaestionibus Theologicis. Aliquando enim spectantur Patres tanquam testes et doctores divinitus instituti quorum consensus infallibile est argumentum veritatis revelatae vel est certissimum te-

vas haereses; ideo enim distinguit inter novas et veteres, quia quoad has iam habemus definitiones Ecclesiae, quoad illas debemus ipsi nobis consulere. Quare quaerendum primo quid universa teneat Ecclesia; quod si constare nequit consensus universalis propter adversantium discordiam, quaeratur antiquitas; et quidem si in ea occurrat sententia vel decretum universae Ecclesiae aut Concilii, quod insurgenti errori adversetur, id satis est: si autem illud desideretur; si tota antiquitas consentit, illud teneatur quod ea docet; quod si aliqua discrepantia et inter praecedentes doctores reperitur, sequamur « multorum atque maiorum consentientes sibi sententias magistrorum ». (c. 77) 2) Haec methodus, iuxta Vincentium, adhibenda est et ab iis qui definitionem fidei sunt condituri; debent enim illud sua auctoritate firmare, et credendum proponere quod antiquitus traditum est, et quod universa Ecclesia modo tenet, si vere consensus quoque universalis adest. Ideoque 3) huiusmodi methodus spectat ad stadium inquisitionis, attingitque normam, quam quilibet inquisitor veritatis sequi debet. Quia vero 4) in ea norma investiganda error subrepere potest, ideo ipsa existente adhuc requiritur supremus doctor et iudex, qui infallibiliter eam normam sequens doceat quid sit traditum seu revelatum; hinc per propositionem huius normae non excludit Vincentius ultimum iudicium infallibile Romani Pontificis. Cum autem Concilii mentionem facit, non excludit 5) decreta Romani Pontificis; nam primo mentione facta speciei unius pro genere, et alia implicite significatur; cum praesertim definitio Romani Pontificis et definitio conciliaris non sint proprie duae species unius generis, sed

stimonium consensus totius ecclesiastici magisterii in veritatem revelatam: et quoniam quavis aetate consensus totius magisterii in aliquid tanquam revelatum est infallibile motivum certitudinis eiusdem ideoque et antiquitatis doctrinae, idque valet eadem ratione pro quavis aetate, hinc par est vis huius demonstrationis ex Patribus ad cuiuscumque seculi consensum provocetur. Hanc licet appellare methodum dogmaticam. Aliquando vero praecisione facta a characteribus testium aut doctorum divinitus institutorum, atque ab infallibilitate magisterii Ecclesiae, si praesertim disputetur cum iis qui haec negant, spectantur simpliciter Patres ut testes historici qui referunt immediate vel mediate id quod antiquitus traditum est ab Apostolis Ecclesiae, ut concludatur quatenus sit doctrina Apostolica, quam haeretici quoque ut veram recipiunt. Cum haec methodus adhibetur, vel moralis certitudo orta ex eorum consensu urgetur; vel ad quosdam solum provocatur, et, ut intestibus historicis fieri solet, magis tunc habetur in pretio testimonium antiquioris quam recentioris, licet ille in magisterio Ecclesiastico divinitus instituto minore fruatur auctoritate. Sic e. g. testimonium Ignatii Martyris aut Tertulliani praefereamus testimonio Leonis M. aut Chrysostomi. Hanc methodum possumus appellare criticam vel scientificam. Hanc porro methodum, etsi non solam, prae oculis habuisse censemus Lirinensem.

differant modo, cum definitio ipsa Concilii sit definitio Romani Pontificis sollemniori modo proposita. Deinde vero auctoritatem solius Romani Pontificis sufficientem esse pro finiendis quaestionibus fidei satis Vincentius significat allato exemplo Stephani in causa baptismi, « qui cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ceteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat », cuius Stephani decreti exitum fuisse docet Vincentius illum qui est « usitatus et solitus: retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas ». (c.9) Ceterum 6) cum dicitur universam Ecclesiam vel consensionem errare non posse; duplex quaestio fieri potest a) utrum universa Ecclesia errare possit: b) quaenam est intrinseca ratio seu principium proximum huius inerrantiae. Priori quaestioni respondendum est negative, sed (quae est responsio ad alteram quaestionem) propter Petrum eiusque successores, quorum magisterium universa Ecclesia sequitur. Neque id negatur, sed supponitur a Vincentio.

III. Pariter Pontifices fidei decreta promulgantes doctrinam propositam auctoritate veterum atque consensu etiam praesenti Ecclesiae probabant, ut Caelestinus epist. citata ad Cyrillum, Leo in sua epistola dogmatica ad Flavianum, Agato epist. ad concilium VI. Verum quid inde inferri potest? nonne eadem dogmata auctoritate quoque Scripturarum probabant? ergo ne penes Scripturas est suprema auctoritas docendi in Ecclesia, excluso magisterio authentico et infallibili? nonne ipsa Concilia oecumenica eadem methodo sunt usa? ergo ne in Conciliis negabunt adversarii esse supremam et infallibilem potestatem docendi? Scilicet Pontifices illud exsequebantur, quod monuit Lirinensis, sequebantur enim normam veteris traditionis, sed sequebantur infallibiliter propter assistentiam divinam: et exinde infallibiliter constabat omnibus verum esse revelatum quod ab iis credendum proponebatur.

IV. Cuius pontificiae auctoritatis vis ut plenius intelligatur subiungendum est quod ultimo loco posuimus in thesi. Nempe cum ad veterum testimonia Pontifices recurrunt aliquid definituri, illa non considerant avulsa ab auctoritate Apostolicae Sedis, sive, quod perinde est, non praescindunt a praecedente magisterio Romanae Sedis, sed imo eius rationem habent, eoque stabilitur perpetua sincera propagatio per successiva secula doctrinae ab initio traditae. Et sane cum opus sit ut medium existat quo doctrina ab initio tradita conservetur et perpetuo propagetur, huiusmodi medium est infallibile magisterium. Hoc autem proprium est Romanae Cathedrae quae centrum est unitatis fidei, et ad quam proinde necesse est omnem convenire Ecclesiam, si traditionem apostolicam conservare velit.

Quare magisterium ceterorum conforme esse debet magisterio Romano, iique tantum in Ecclesia probati doctores, veracesque testes traditionis divinae habiti sunt, quorum testimonium et doctrinam Romana Sedes vel diserta testificatione, vel usu eorundem cognito et permissio probavit (cf. decretum Gelasii I.). Hinc interrogatus Pontifex Hormisdas a Possessore Episcopo quid de libris Fausti Reiensis sentiendum, respondit (ep. 70) ea opera non recipi a Romana Ecclesia. Ergo cum ad testes antiquos provocatur, non abstrahitur a sententia Romanae Sedis, Romanique Pontifices cum aliquid definiunt sequuntur tandem veluti normam doctrinam suae cathedrae, quae nunquam habuit maculam aut rugam, in qua nunquam defecit fides, sed in qua conservata semper est ea quae est ab Apostolis traditio.

Quid ergo voluit dicere Augustinus (cont. Iulianum L. I. c. 4. n. 13) inquit: « quid enim potuit ille vir sanctus (Innocentius Rom. Pontifex) africanis respondere conciliis nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, et Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesia! » Advertimus heic Augustinum non loqui universaliter seu non exhibere normam secundum quam iudicia a Romana Sede proferenda sint, sed loqui in hypotesi speciali, in quaestione scilicet de peccato originali, et necessitate gratiae, in qua quidem quaestione unanimis erat consensus Ecclesiarum Occidentis et Orientis. Porro cum Iulianus videretur respuere auctoritates ab Augustino allatas eo quod essent tantum occidentalium, videreturque exigere totius Ecclesiae consensum, respondet Augustinus sufficere ei debere auctoritatem Ecclesiae occidentalis et Apostolicae Sedis, ideoque Innocentii qui in ea sederet. Cur vero? quia Innocentius non potuit (quaecumque tandem sit causa huius impossibilitatis, de qua causa Augustinus non loquitur, sed quam supponit) aliud respondere quam quod in ea re et antiquitus ipsa Apostolica Sedes et tunc cum ceteris ecclesiis tenebat Ecclesia Romana. Si enim aliquid ab universa Ecclesia creditur, certe Romana Sedes circa id consulta nihil aliud respondere potest quam quod universa Ecclesia credit. Hac responsione fit satis Iuliano flagitanti consensum Ecclesiae in ea quaestione. Verum superest adhuc quaestio duplex: 1° unde sit haec impossibilitas erroris in Romano Pontifice: 2° quid fiet a Romana Sede cum deest consensus Ecclesiarum, et quanta est vis eius magisterii in hac hypotesi. Huic alteri quaestioni utpote subiecto suo extraneae non respondet Augustinus, eius tamen solutio pendet a solutione prioris. Neque priori quaestioni Augustinus facit satis directe, quia, ut diximus, potius supponit infallibilitatem Pontificis; verum aliquid innuit quo solvi quaestio potest. Nimirum cum ait non potuisse In-

nocentium respondere nisi quod ipsa Apostolica Sedes antiquitus tenuit; quibus verbis significatur doctrinam Apostolicae Sedes esse normam veritatis.

Dices. Episcoporum magisterium unanime repraesentat traditionem; haec nequit esse falsa: ergo magisterium universitatis est per se infallibile.

Haec est difficultas cuius solutionem promisimus in Th. praeced. Respondeo. Antecedens simpliciter verum est si Episcopi omnes doceant simul cum Rom. Pontifice consentiente vel expresse vel tacite, sive doceant quod iam Romana Sedes probavit: qua in hypotesi conceditur simpliciter consequens. Si vero aliquid nondum definitum doceant citra consensum Romani Pontificis, distinguendum est. Quae distinctio ut intelligatur, advertendum est aliud esse quod in iis, quae explicite credenda proponuntur ab universo Episcopatu contineatur plus minus implicite ea quoque veritas revelata, de qua est quaestio, aliud quod actu veluti reflexo cognoscatur in illis haec veritas, et infallibiliter cognoscatur. Primo modo se habet traditio contenta magisterio Episcoporum ad eam veritatem de qua est quaestio, sicut se habet Scriptura ad plures veritates in ea certe contentas, de quibus tamen disputatum est et disputatur: continetur scilicet ibi veritas, sed nondum infallibiliter cognoscitur. Altero modo habetur cognitio certa et infallibilis huius veritatis. Hoc posito ita distinguimus: magisterium Episcoporum repraesentat traditionem quod eas veritates quas necessario credendas proponunt (Cf. th. praeced. p. 1.) *conc.* quoad alias veritates illis implicite contentas, *subd.* h. e. hae quoque veritates in iis quae docent continentur, *conc.* hoc ab iis certa investigatione eruuntur et proponuntur fidelibus citra magisterium Romani Pontificis, *subd.* iudicio reformabili, *conc.* irreformabili ideoque infallibili, *neg.* Et sane depositum quidem revelationis omnibus Episcopis commissum est custodiendum (1 Tim. VI. 20), sed praecipue Apostolicae Sedi, in qua semper ab omnibus servata est ea quae est ab Apostolis traditio (Irenaeus l. s. c.). Neque est supponendum quod notitia clara et distincta totius depositi sit penes quamlibet Sedem episcopalem, quod historice constat esse falsum.

(De Conciliis 1^a)

THESIS XXVIII.

Singuli Episcopi catholici, h. e. communionem fruentes Romanae Sedes, id habent proprium prae ceteris fidelibus, ut sint magistri authentici verique iudices etsi non supremi in causis fidei, et cum singuli in suis sedibus docent, praesumendum est iuridice doctrinam eorum esse catholicam, h. e. doctrinam cathedrae Petri. Eos vero in Synodum oecumenicam convocandi potestas coactiva est solum penes Rom. Pontificem, isque solus ius habet iisdem praesidendi auctoritate iurisdictionis. Coacti proinde in Synodum oecumenicam Episcopi obtinent a Romano Pontifice auctoritatem docendi cum ipso universam Ecclesiam ibique sunt ex sese veri iudices fidei, quorum tamen iudicialis auctoritas vim suam erga fideles exerit. Et cum definitio ex cathedra praevertit, habent ipsi convocati in Synodum ius et officium instituendi de ea examen non quidem dubitativum sed comprobativum. Comprobantes autem suo suffragio debito doctrinam a Pontifice propositam, eam sua quoque auctoritate iudicant, simulque cum ipso Rom. Pontifice definiunt et confirmant. Sententia tamen Episcoporum ideo peremptoria est et infallibilis quia Romanus Pontifex simul cum ipsis rem definit.

Nota. Quoniam in hac thesi agimus de Episcopis in Synodum oecumenicam convocatis, neque ad absolvendam quaestionem de infallibilitate potest haec thesis nunc praetermitti, ne materiam unam dividamus, et eadem repetere cogamur, omnia huc congesimus quae de auctoritati Romani Pontificis erga concilia oecumenica adhuc restant dicenda vel uberius demonstranda, de potestate scilicet convocandi et praesidendi, etc.

I. Cum Christus doctrinam divinitus revelatam voluerit certa serie testium et doctorum a se instituta perpetuo custodiri, praedicari et propagari; ille dicitur in Ecclesia magister seu doctor *authenticus*, qui ex officio divinitus instituto ius et obligationem pariter habet custodiendi, praedicandi ac propagandi doctrinam revelatam, atque ex eadem divina ordinatione ius habet exigendi fidem doctrinae a se traditae. Porro magister authenticus duplex distingui debet: *authenticus simul et infallibilis*, qui nempe absolute exigit fidem doctrinae a se traditae eo quod ipse est qui docet: atque *authenticus simpliciter, per se fallibilis*, qui exigit fidem doctrinae a se traditae quia ipse docet simul cum centro seu capite universi